



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non  
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu  
peragi possint

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Credo.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

inter hæc maximè contristavit Dominum, trina Petri negatio. Tempore *Epistolæ* cogito Dominum meum specialiter fuisse accusatum ut ever-  
sorem veteris legis.

*Oratio, Evangelium.*

**D**UM à cornu *Epistolæ* ad medium Altaris procedo oraturus, ibidem consuetam orationem, præcedit me Dominus meus à domo Caiphæ ad Pilatum, apud eum de variis accusatus, eum à Pilato ad Herodem missum prosequor, dum ad cornu *Evangelii* vado lecturus *Evangelium*. Et quia apud utrumque ratione doctrinæ suæ maximè accusatur, & usque modò doctrina Christi maximam patitur contradictionem ab infidelibus, hæreticis, & pro dolor ipso facto à Catholicis. Hinc cum summo desiderio prædicandi cum fructu *Evangelii* id altè, clarè, distinctè ac devotè recito. Ante hoc autem, initio *Evangelii* Cruce signato, *Dominus vobiscum*, eâ intentione dico, ut, quam exterioriùs omnes Sacrum audientes adhibent verbo Dei reverentiam surgendo & stando; eam quoque re ipsâ & in animo exhibeant, & in spiritu cum Sacerdote devoto osculo venerentur locum lecti *Evangelii* ad significandum ardorem; quo totam illam doctrinam amplecti, in corde conservare; & etiam, quoad consilia *Evangelica*, executioni mandare volunt.

*Credo.*

**I**NTERIM à cornu *Evangelii* ad medium Altaris præcedit me Dominus meus ab Herode remissus



missus ad Pilatum, veste albâ indutus tanquam homo fatuus, cui non sit credendum. Ego autem ad injuriam hanc secundum posse meum reparandam offero Deo ardentem fidem SS. omnium, & maximè Martyrum, & in unione zeli horum pro sancta fide devoveo caput meum, dicoque cum ardore *Credo*: ubi totam Christi vitam, passionem, resurrectionem, ascensionem, adventum ad iudicium breviter recolens, ad verba illa *Incaratus est* memor dicti S. August. l. 2. Conf. c. 9. *Postquam Verbum caro factum est, flexi genu:* quasi pondere mysterii Incarnationis, tantique in nos amoris obrutus, labasco in terram; & è vestigio surgo cogitans, me pro merito meo jam in infernum prolapsum, virtute passionis corroboratum, ad vitam cælestem assurgere, & crucis signo sub finem *Credo* formato, eo quasi sigillo totius fidei confessionem firmo. Dicto *Dominus vobiscum*, stat adhuc Dominus meus ante Pilatum.

*Offertorium.*

**A**d *Offertorium* video, quòd se æterno Patri elatis in cælum manibus pro salute nostra offerat ad omnia tormenta. Dum denudatur calix, apparet vestibibus spoliatus, nudus ad columnam alligatus, flagellatus, spinis coronatus. Nec vacat mysterio, quòd ante orationem *Offerimus tibi Domine calicem, &c.* patena partim sub corporali, partim sub purificatorio abscondatur. Nam Domini mei divinitas, per patenam fulgentem adumbrata, jam magis magisque latere incipit sub infirmitate passionis.

*Ablu-*